



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

6 Quæ sint pœnæ schismaticorum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

mortale. Erit autem peccatum contra fidem, si veritatem fidei oppugnes, aut aliquo modo opprimas, & obscuras; & contra iustitiam in te gravi, si proximum in iis decipias. In aliis autem materiis raro oppugnatione veritatis est peccatum mortale; quia raro fit cum notabilis proximi detrimento, quod ad peccatum mortale requiritur. Sic Spat. Valent. Bonac. Coninch. locis citatis.

PUNCTUM V.

De schismate, quid sit & quale peccatum.

- 1 Schisma est divisio ab Ecclesia, eiusque capite.
- 2 Dupliciter contingit.
- 3 A subiectione Pontificis te separare potes directè, vel indirectè. Et quibus modis contingat?
- 4 Pontifex ab unitate Ecclesie se separare potest.
- 5 Peccatum schismatis gravissimum est.
- 6 Aliqui à communione fidelium se separant, quid sit schisma, & quales ij sunt?
- 7 Nolens exequi mandatum Pontificis, quia difficile non est schismaticus.
- 8 Neque est schismaticus qui dominum Pontificis in aliquam civitatem non recognoscit.
- 9 Item schismaticus non est qui non obedit Pontifici, quem probabiliter credit legitimum non esse.
- 10 Peccans mortaliter non est schismaticus.

Schisma in presenti sumitur pro scissione, vel divisione ab Ecclesia, eiusque capite, cum enim Ecclesia una sit, ac proinde indivisa, constans ex fidelibus, tanquam membris, & ex Christo, cuiusque Vicario, tanquam capite, qui se ab huiusmodi membris, vel capite separar, schismaticus est.

2 Dupliciter te ab Ecclesia separare potes, iuxta duplicem viam, quam Ecclesia in se retinet. Primò, vt deserendo fidem, que vnica est in Ecclesia, tunc hereticus es, & consequenter schismaticus, quia à præcipua unitate Ecclesie, qua desumitur à fide te separas. Secundò, te separare ab Ecclesia potes deserendo eius unitatem, quam fideles omnes inter se habent cum suo capite, tum in sacramentis, & cultu diuino, tum in subiectione, & subordinatione ad suum caput. Si enim sacramentorum vnum contemnis, religiosumque cultum omittis, & Christi Vicario tanquam capite te subiectione non vis, iam exinde non communicas cum reliquis fidelibus, sed potius ab eorum communione te separas, ac proinde schisma committis. Requiritur ergo ad verum schisma rebellio in Pontificem, vel Ecclesiam, que rebellio in eo fita est; vt quis verbis, vel factis ostendat se nolle Ecclesiam, vel Pontificem, qua talis est, recognoscere: sic ex omnium sententia tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. & ibi Caietan Valent. disp. 3. quæst. 13. part. 1. præcipue propof. 3. Suarez disp. 12. sect. 1. à num. 3. & seqq. præcipue 13. & 8. Coninch. disp. 30. dub. 5. num. 36. & 24. Sanchez lib. 2. de calog. cap. 36. à num. 1. Bonacina disp. 3. quæst. 4. de charitate. part. vlt. §. 5. propof. 1. Farinac. p. 184. num. 27. & 30.

3 Dupliciter autem te potes à subiectione Pontificis, & Ecclesie unitate diuidere. Primò, directè secundò, indirectè. Directè te diuidis, cum expresse, & formaliter intendis non recognoscere Pontificem, vt superiores indirectè, cum facto ipso ostendis non recognoscere: quod videtur contingere existentibus in Anglia, & exhibitis Regi obedientie signa, quibus restantur esse Christi Vicarium in spiritualibus, quamvis interitus sic esse nullo modo credant, quia se iunctio ab unitate Ecclesie, cuiusque obedientia, in opere ipso externo consistit, ac proinde ij verè schismatici sunt, esto non sint heretici, Sic Suar. de conf. disp. 21. sect. 2. n. 13. Sanchez lib. 2. cap. 36. n. 14. Bonac. disp. 3. q. 4. p. vlt. §. 5. num. 9. vlt. hinc patet. Item indirecta recessio ab Ecclesia contingit iis, qui præsumunt absque debita autoritate congregare Synodos vniuersales, vel eas postquam per legitimam autoritatem dissolutæ sunt, profecti: Sic Caietan, dist. quæstion. 29. art. 1. Valent. part. 1. propof. 3. vlt. Nam qui separant. Suar. de charit. disp. 12. sect. 1. num. 2. Sanchez num. 5. Coninch. num. 38. Rursus qualibet ex his dissensionibus, tam directæ, quam indirectæ, potest dupliciter contingere, primò, mixta hæresi, secundò sine vlla. Mixta hæresi contingit, si cum te subtrahis ab obedientia Pontificis, & unitate Ecclesie, negas eius unitatem, vel Pontificis prælationem. Sine hæresi fit schisma, cum & unitatem Ecclesie recognoscis, & Pontificis prælationem, non vis tamen illi ex malicia subijci, & in hac subiectione cum reliquis membris Ecclesie communicare; sic Sanchez, cap. 36. num. 8. Valent. d. propof. 3. Tolet. de casibus cæne Domini, conclus. 3. excommunicat. 1. Bonac. disp. 3. quæst. 4. part. vlt. §. 5. numer. 5. Farinac. quæst. 184. num. 2.

4 Quocirca quicumque ab unitate Ecclesie, sub capite se separar, schismaticus est. Au autem possit Pontifex sic te separare, dubitant aliqui. Tenendum tamen est posse, quia potest nolle cum fidelibus in sacramentis, & cultu diuino communicare, ac proinde te separar ab ipso, & à Christi capite. Adde non esse de essentia schismatis separationem à Pontifice, cum sede vacante committi possit; sufficit enim esse separationem ab unitate, quam fideles inter se, & cum Christi capite habent. Sic bene probat Va-

lent. disp. 3. quæst. 13. p. 1. propof. 5. Coninchus disputat. 30. numer. 41. 5. Esse autem schisma grauissimum peccatum charitatis contrarium nulli dubium esse potest. quia scindit quantum est de veritate Ecclesie, quam charitas constituit. Neque dari posse credo leuitatem materiæ in hac parte, quia nunquam leue esse potest, te se iungere ab vniuersa Ecclesia, & superiore illius non recognoscere, etiam in re leuissima. Est enim summa arrogantia, & diabolica superbia, & Ecclesie Dei grauissimum contemptus. Sic Valent. supra p. 2. in princ. Bonac. disp. 3. q. 4. de charit. part. vlt. §. 5. propof. 2.

6 Verum quia aliqui à communione fidelium se separant, qui tamen propriè schismatici non sunt, placet illos enumerare, ne æquiuocario contingat. Primò, si te separas ab vniuersis Episcopis, & Cleri obedientia, & communicatione, si simul cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communicas, non eris schismaticus, quia non te separas ab unitate Ecclesie. At si ille Episcopus, & Clerus cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communicat in illa re, in qua tu communicare non vis, schismaticus eris, si ab illius obedientia te separas. Quia implicite, te separas ab unitate Ecclesie, cum tota Ecclesia tibi restat. Sic Val. prop. 3. propof. vlt. itam eadem ratione, Coninch. disp. 30. dub. 5. n. 40. Lorca disp. 48. num. 11. Farinac. q. 184. num. 27. & 30.

7 Secundò infero, te non esse schismaticum, si Pontificis mandatum non impleas eo quod tibi videatur difficile, & arduum, vel extra Pontificis potestatem, vel in odium illius, & vindictam, quia cum hac inobedientia fiat recognitio prælationis Pontificis, ac proinde debita illi in aliis materiis subiectionis quilibet transgressor Ecclesiasticis præceptis esset schismaticus, quod non est dicendum. Sic D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. & ibi Caietan. dub. 3. Bannes ibid. ad fin. Valent. propof. 3. Sanchez. num. 4. Bonac. disp. 3. q. 4. p. vlt. §. 5. n. 2. vlt. sexto, Coninch. disp. 30. dub. 5. n. 42. Farinac. q. 184. num. 11. Azor. 1. p. lib. 8. cap. 10. q. 4.

8 Tertio, infero te non esse schismaticum, eo quod dominium Pontificis in aliquam ciuitatem non recognoscas, & ob illam causam nolis mandatis parere quia hæc non est separatio ab unitate Ecclesie, eiusque capite, quatenus illius caput est. Sic Sanchez. 4. Bonac. vlt. septimo, & alij apud ipsos.

9 Quarto, infero te non esse schismaticum, cum te subtrahis ab obedientia Pontificis, quem probabiliter credis talem non esse, quia tunc non peccas. Non enim teneris obedire superiori, nisi tibi prius morali certitudine constet superiore esse. Valent. propof. 3. Sanchez. 3. Bonac. vlt. octauo, Coninch. n. 41. Suar. disp. 12. sect. 1. n. 2. imò potius foueres schisma, si dubio Pontificis te subiectionis. Vnde cum aliquis in Pontificem est electus, de cuius canonice electione non satis constat, non tenetur Ecclesia illum vt Pontificem acceptare, illique obedire, & consequenter neque ipse potest officium Pontificis exercere, cum ad hoc officium necessarè spectat posse cogere subditos, vt sibi obediatis; imò potius teneretur ipse iuri illi dubio cedere, vt Ecclesia de pastore pronideat; caret enim illo, dum dubium habet: sic ex Caiet. bene notauit Coninch. disp. 30. dub. 5. n. 44. vbi n. 45. dixit aliquando Pontificem, de cuius canonice electione prudenter dubitari non potest, obligari esse cedere iuri quod habet, & renunciare Pontificatui, si alia via cognoscit Ecclesiam non esse pacem habituram. Quia officium boni pastoris est animam ponere pro ouibus suis, Iam. 10. Ergo à fortiori honorem, & autoritatem. Item pro bono communi quilibet tenetur proprium expendere. Ergo autoritatem Pontificem tenetur Pontifex expendere pro pace Ecclesie, que bonum commune est.

10 Quinto, infero peccantem mortaliter non esse schismaticum, quia non te separar ab unitate Ecclesie, que in fide, & sacramentorum vtu, cum debita ad Christum, eiusque vicarium subiectione consistit. Sic Bonac. disp. 3. q. 4. p. vlt. §. 5. vlt. tertio, propof. 1. cum Reginald. lib. 9. n. 258. Farinac. q. 184. n. 25.

Sextò, excommunicatum non esse schismaticum propriè, quia non separar ipse, sed potius separatur à communione fidelium, Sic Bonac. & Reginald. supra. Farinac. multos referens num. 16.

PUNCTUM VI.

Quæ sint pœnæ schismaticorum.

- 1 Explicatur prima pœna, que est priuatio potestatis ordinis, & iurisdictionis.
- 2 An hæc priuatio contingat schismaticis non denunciatis Refertur quadruplex sententia.
- 3 Approbatur secunda sententia, priuari scilicet ipso facto quilibet schismaticum occultum.
- 4 Secunda pœna schismaticorum est excommunicatio ipso facto.
- 5 Comprehendit non solum schismaticos hereticos, sed eos qui subiectionem hæresi habent.
- 6 An quilibet inobediens Pontifici, hæc excommunicationem contrahat? Proponitur sententia, affirmans.
- 7 Solum schismaticus propriè hæc contrahit excommunicationem.
- 8 Fautores, receptatores schismaticorum non ligantur hæc bulla excommunicatione.
- 9 Schismatici, qui heretici non sunt, absoluti possunt semel in vita, & semel in morte virtute Cruciate, vel subijci casu Cæne cœsistentis.

- 10. Tertia pœna est inhabilitas ad beneficia.
- 11. Penitentibus schismaticis & Ecclesie reconciliatis tollitur hæc inhabilitas secundum probabilem sententiam.
- 12. Probabilis est dispensatione indigere.
- 13. Quis possit dispensare.
- 14. Probabile est occultum schismaticum dispensatione non indigere.
- 15. Beneficium ante schisma obtentis non privatur schismaticis, nisi hæreticus sit.
- 16. Quarta pœna enumeratur ab aliquibus irregularitas, sed non approbatur.
- 17. Quinta pœna est suspensio ordinis à schismaticis scienter recepti.
- 18. Sexta est collatio beneficiorum ab eis facta irritata.
- 19. Septima est suspensio hæresis vehemens.
- 20. Octava est suspensio Ecclesiasticis iudiciis pro pœna suscipiendâ.

Prima pœna, quæ enumerari potest, est privatio potestatis Ecclesiasticæ, ordinis, & iurisdictionis. De potestate ecclesiastica consistente in spiritali charactere certum est apud catholicos non posse privari schismaticum; quia non potest privari charactere, à quo talis potestas provenit; ut constat ex cap. ordinarius 9. quæst. 1. In his enim operatur homo, ut dicit D. Thom. ultimam allegandas ut instrumentum Dei, ideoque effectus sacramentales ob culpam conferentis non cessant bene privati potestatis, & de facto privatur legitimo vtu talis potestatis. Non enim licet ipsi eam potestatem exercere, dum est in schismate, sic ex D. Thom. quæst. 39. art. 3. Turresemata lib. 4. sum. part. 1. cap. 7. & aliis Doctoribus probat Valent. 2. 2. disp. 3. quæst. 15. punct. 3. in princ. Farinac. quæst. 184. num. 43. De potestate iurisdictionis fore omnis DD. conveniunt schismaticum privatum esse ipso iure, & merito, quia indignus est sui potestate Ecclesiasticæ, qui se pertinaciter ab illa separat. Vnde non potest excommunicari, absolvi, et indulgentias, & beneficia conferre, & alia, quæ iurisdictionem requirunt: sed omnia illa inuadit a se, nisi aliunde ex communi errore ob titulum præsumptum iurisdictionis concedatur. Sic D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 3. Valent. disp. 3. quæst. 15. part. 3. vers. tertium enim est, & vers. controuersum autem est, & seq. Azor. 1. part. lib. 8. cap. 20. quæst. 9. & 12. Decian. tract. crim. lib. 5. ca. 67. num. 8. & seq. Farinac. de hæresi quæst. 184. num. 43. & probatur manifestè ex textu in cap. 1. de schismaticis, ubi dicitur ordinationes ab Octauiano, & Guidone hæreticas factas, & ab ordinatis ab eis irritas esse censens id est, quod executionem earum legitimam, & bene cum glossa notar Valent. supra, & adiciens, ut qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos schismaticos acceperunt, careant impetratis; alienationes quoque quæ per eosdem schismaticos, seu per laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesiam sine ulla onere reuertantur. At idem est text. in cap. Nouatianus 7. quæst. 1. ubi Cyprian. dicit. Qui nec veritatem spiritus, nec conuentionis pacem asserit, & se ab Ecclesia vinculo, & à sacerdotum collegio separat, neque Episcopi potestatem habere potest, neque honorem. & cap. aduersus 14. quæst. 1. idem Cyprian. inquit. Didicimus, omnes omnino hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & iuris. Item habetur cap. audiuit eadem causa & 9.

2. Dubium tamen est, an hæc potestatis iurisdictionis priuatio schismatici manifesti, & occulti, vei necessariò debeat esse publicè denunciata, iuxta extrinsecas de extrinsecis scandalo; Concilij Constantini. Quia in re quadruplex est sententia. Prima negat ipso facto privari, sed esse per sententiam priuatum, quia nulli habetur ipso iure priuatus esse. Sic Caiet. in act. de auctor. Papæ, & concilij cap. 20. 21. 22. Cano. lib. 4. de locis cap. 2. & cap. vlt. ad argum. 12. Sicut in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2. Secunda concedit privari ipso facto iurisdictionis potestate quemlibet schismaticum, quædam occultum. Sic D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 3. Turresem. lib. 4. sum. part. 2. cap. 20. Castro. lib. 2. de iust. hæretic. punct. cap. 23. & 24. Azor. 1. part. lib. 8. cap. 2. quæst. 9. in fine. Mouentur, quia occultus schismaticus exterior ab unitate Ecclesiæ & subordinatione ad illius caput se subtrahit. Ergo indignus est, cui iurisdictionis ab Ecclesia concedatur. Tertia negat occultum schismaticum priuatum iurisdictione, concedit manifestum, siue sit manifestus per sententiam, siue ex facto proprio. Sic Valent. 2. 2. disp. 3. q. 15. part. 3. vers. tertia sententia. Et probat, quia dum est occultus occultus, cum Ecclesia vnionem retinet, ac proinde iurisdictionem ab illa accipere potest. Deinde quia textus hanc priuationem impotentem, loquuntur de hæreticis, & schismaticis publicis, non occultis, ut expendi eos patebit. Quarta sententia dicit post Concilium Constantiense nullum schismaticum iurisdictione priuati, qui denunciatus non sit, aut manifestus clerici percussor. Quia cum solùm hoc vitare teneamus, solùm ij carere debent iurisdictione nobis conueniente. Sic Bonac. disp. 3. quæst. 4. de charit. part. vlt. §. 6. n. 8.

3. Inter hæc sententias secunda D. Thomæ mihi magis probatur, quia text. in cap. 1. de schismaticis cap. Nouatianus cap. audiuit cap. aduersus 14. quæst. 1. expressè norant ipso iure hanc priuationem incurri: dicunt enim ordinationes esse irritas, & conferentem nihil habere iuris, & potestatis, & ex alia parte hæc priuationem ad omnes schismaticos extendi probat textus in schismaticis omnibus. Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars. I.

nes omnino hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & iuris. Verum ut huiusmodi priuatio iurisdictionis effectum habeat, necessaria est saltem declaratoria sententia criminis, vt ex his quæ diximus de hac pœna hæreticorum constare potest, & tradit in præsentî Suarez disp. 12. sect. 2. n. 2.

4. Secunda pœna schismatici est excommunicatio, de qua satis controuersum est, an olim fuerit ipso iure imposita, an imponenda per sententiam, vt videre est in Azorio 1. part. lib. 8. cap. 20. quæst. 6. Farinac. quæst. 184. numer. 17. & 38. Sed iam nemini est locus dubitandi esse schismaticis excommunicationem impositam in bulla Cœnæ Domini, clausula prima in fine: vbi inquit Pontifex. Excommunicamus, & anathematizamus schismaticos, & eos, qui se à nostra, & à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

5. Circa quam excommunicationem, primò dubitatur, an comprehendat schismaticos non hæreticos: Negat Tolet. in edit. Lugdunens. lib. 4. sum. c. 11. fine. Vbi dicitur, qui credit potestatem Papæ, ex passione aliqua motus, ab illius obedientia se subtrahit, iste est purè schismaticus, quia schisma est contra vitare charitatis, non contra fidem, & tale schisma subtrahit excommunicationem Papali, non quidem in Cœna Domini, nisi sit cum hæresi, sed à iure, quod habetur c. licet, de electione, & c. nulli de iur. At vt rectè Azor. supra, quæst. 6. ex iis capitibus non colligitur excommunicationem ipso facto quemlibet schismaticum contrahere, quæ c. licet, loquitur in casu speciali, scilicet de Cardinalibus, qui post electum Pontificem ex duram partium consensu, alium ex tertia parte in Pontificem recipiunt, & simul eum qui electioni consentit, & vt Pontificem se gerit. Caput verò nulli fas est, solùm habet schismaticos esse excommunicationem expellendos. Idem habetur ex cap. 1. de schismat. cap. de liguri-bus 2. q. 5. & tradit Abbas in rubr. de schismat. n. 2. & multis relatis. García 11. part. de benef. c. 10. n. 156. & seq. Quocirca dicendum est schismaticos, non hæreticos ipso iure excommunicatos non esse, quod pluribus firmat Farinac. q. 184. n. 59. aut dicendum est, esse excommunicatos in clausula Bullæ cœnæ Domini, vt verè dici debet. Nam cum in dicta bulla schismatici ipso iure excommunicentur, & nomine schismaticorum non solùm schismatici hæretici, sed etiam qui hæretici non sunt, suspensionem tamen hæresis habent, propriè intelligantur; efficitur sanè eos omnes excommunicatos esse, & ita renerit alios referentes Azor. 1. part. lib. 8. cap. 20. quæst. 5. Valencia 3. tom. disp. 3. quæst. 15. part. 3. vers. tertium certum est. Sanchez lib. 2. c. 36. num. 11. inuicè. num. 14. Suarez 5. tom. de cens. disp. 21. sect. 2. num. 18. & de charit. disp. 12. sect. 2. in princip. Bonacina disputat. 3. quæstion. 4. de charitat. part. vlt. §. 1. num. 9.

6. Secundo, dubium circa prædictam excommunicationem est, an non solùm schismaticus propriè, qualem esse diximus puncto præcedenti: sed etiam qui quomodolibet Pontifici inobediens est, hæc pœnam excommunicationis contrahat?

Affirmat Farinacius sibi contrarius quæst. 184. num. 1. in fine. & adducit Tolet. lib. 1. cap. 19. num. 10. & 11. & lib. 4. cap. 12. num. 2. Sed in editione Lugdunensi, in primo nihil dicit, in secundo dicit contrarium. Probatur tamen potest, ex eo quod in bulla Pontificis excommunicat schismaticos, & eos, qui se ab eius, & cuiusvis Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Cum ergo nihil in Pontificis decretis superfluum esse dicendum sit, efficitur non solùm recedentes à Pontificis obedientia tanquam à Vicario, sed quomodocunq; recedentes intelligi debere. Nam recedentes pertinaciter ob obedientia Pontificis, tanquam à Vicario Christi, & Ecclesiæ capite, sub schismaticorum nomine comprehensæ erant. Vt quid ergo reliqua verba adduntur?

7. Nihilominus affirmandum est, solùm schismaticis recedentes hæc excommunicatione ligari. Sic Azor. 1. part. lib. 8. cap. 20. quæst. 5. Suarez de censuris disput. 21. sect. 2. num. 12. Thomas Sanchez lib. 2. cap. 36. num. 12. & restatur esse omnium Bonacina disput. 3. quæst. 4. de charit. part. vltim. §. 5. num. 9. Ratio est, quia recellus à sedis Apostolicæ obedientia, propriè non stat cum illius recognitione. Ergo dum Pontificem, vt superiorem recognoscis, etiam illi ob aliquam causam inobediens, à Pontifice vt tatis non videris absolutè recedere; ac proinde excommunicationem illam non contrahis. Quocirca est sub nomine schismaticorum ij recedentes comprehensæ erant, fuerunt tamen expressè ad maiorem charitatem, specialem timorem incutiendum, ita Suarez, Sanchez, & Bonacina, alios referentes supra.

7. Aduertunt supradicti DD. hæc excommunicatione bullæ non ligari fautores, defensores, receptatores schismaticorum, quia in supradicta bulla non exprimitur, & exprimitur hæreticorum fautores, & in odiosis non est ultra proprietatem verborum extensio faciendâ; ligantur tamen excommunicatione non seruata, per textum in cap. licet, de elect. c. 1. de schismaticis in 6. tradit Siluester verbo schisma. n. 5. Decianus tractat. crim. lib. 5. cap. 65. num. 6. & cap. 67. sub num. 2. Farinacius quæstion. 184. num. 17. & 18. Sed clarior est ex constitutione Pauli I. V. quæ incipit, Cum ex Apostolatus officio, ubi excommunicantur, alique pœnis afficiuntur fautores schismaticorum, vt bene notauit Bonacina supra.

9 Schismatici, qui haeretici non sunt, absolvi possunt semel in vita, & semel in morte virtute. Cruciatu: & similiter absolvi possunt virtute Iubilati, vel privilegij casus coenae concedentis, quia sola haeresis ob eius gravitatem referatur. sic Sanchez lib. 2. cap. 16. num. 17.

10 Tertia poena schismaticorum est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica in posterum habenda: constat ex text. in cap. quia diligentia, de electione, vbi schismatico in Episcopum electo dispensationem, confirmare permittitur. Non igitur valida erit electio ante dispensationem: & ita tradit glossa ibi, & omnes.

11 Dubium est, an poenitentibus schismaticis, & Ecclesia reconciliatis tollatur haec inhabilitas. Affirmare videtur Decianus tract. crim. lib. 5. cap. 54. num. 15. & 16. Conrad. Brunus tract. de haeretico. lib. 3. cap. 7. Butlatus conf. 14. numer. 34. Quintil. Mandol. in addit. ad Repert. inquisitor. verbo abjuratio, littera A. vers. pulchra etiam. Farinacius plures referens, qu. 139. & qu. 193. num. 66. Ratio est, quia haec inhabilitas procedit ex schismate. Ergo illo sublato cessat. Neque obstat videtur text. in dict. cap. quia diligentia, quia electio illius schismatici in Episcopum, forte fuit durante schismate, ideoque indiget confirmatione, & dispensatione, quibus tamen non indigeret, si sublato schismate, & Ecclesia reconciliata, electio facta esset. Neque etiam obstat text. c. unico, de schismaticis in 6. vbi schismatici, & eorum fautores perpetuo inhabiles ad beneficia declarantur, quia loquitur text. de casu specialia, in quo duo Cardinales noluerunt Pontificem canonice electum condecorare, & alium in Pontificem elegerunt.

12 Nihilominus probabilius, & securius censo, schismaticum Ecclesiae reconciliatum adhuc inhabilem esse ad beneficia Ecclesiastica, nisi per Pontificem, aut vices ipsius habentem, fuerit dispensatus: sic docet Azor. 1. part. lib. 8. cap. 20. quast. 8. & testatur esse communi sensu receptam. Sanchez lib. 2. cap. 36. n. 18. Bonacina disp. 3. quast. 4. de charit. part. ult. §. 5. num. 10. Pegna direct. 2. part. quast. 48. comment. 73. in medio. Suarez de censuris, disputatio. 43. sect. 2. num. 7. Farinacius pluribus relatis, quast. 184. num. 36. Moueor ex supradicto cap. quia diligentia, vbi glossa expressè dicit abjuratio schismatici, in Episcopum electum fuisse, & nihilominus indiget dispensatione, ergo signum est inhabilem emanasse.

13 Dixi huius inhabilitatis neminem à Pontifice, aut vices ipsius habentem dispensare posse, quia eius est solvere, cuius fuit ligare. Habet tamen Episcopus ex decreto Tridentini, sess. 24. c. 6. concedente casus occultos, potestatem ad dispensandum, in quacumque inhabilitate ad beneficia ex delicto occulto proveniente. Quare si delictum schismatici occultum sit, poterit ab Episcopo schismaticus ad vnitatem Ecclesiae rediens habilis reddi, sic Sanchez, & Bonacina supra. Si tamen schisma publicum sit, non desunt Doctores, qui affirmant posse Episcopum dispensare ad beneficia omnia praeter episcopatum, & dignitatem exemptam, si scienter ordinem à schismaticis non receperint: sic tradit Abbas in cap. 2. de schismat. num. 7. Decius cap. ut si clerici, §. de adulteris, de iudicis num. 124. & in cap. quia diligentia, de electione num. 17. vbi indistinctè tenet sufficere dispensationem Episcopi, consentit Lambertinus 1. part. 2. lib. quast. 9. art. 8. & vt probabile reputat glossa cap. 5. de schismaticis. Sed huius potestatis nullum apparet in iure firmum fundamentum, ac proinde dicendum est non posse ab alio, quam à Pontifice dispensare: & tradit vltra Sanchez, & Bonacina locis citatis. Garcia 1. parte de beneficiis, cap. 10. num. 164. glossa cap. 2. de schismaticis, in fine. Farinacius quast. 184. num. 36.

14 Adde esse probabile hunc occultum schismaticum, & Ecclesiae reconciliatum dispensatione non indigere, quia poena inhabilitatis non cuiuslibet schismatico videtur imposita, sed publico, & manifesto: qualis erat ille Episcopus relatus in capit. quia diligentia; quare occultus, & maximè emendatus, & conuersus hanc poenam nullo modo contrahit, vt multis probat etiam de haeretico, Garcia 11. part. de benefic. cap. 10. n. 83. & specialiter de schismatico, num. 162.

15 De beneficiis ante schisma obtentis reputat Rebuffus in praxi beneficiar. tit. de modis amittendi beneficia, & Flamin. Parisius lib. 3. de resignat. qu. 1. num. 36. Farinacius quast. 184. num. 42. priuatum manere schismaticum, ex cap. nos consuetudinem 12. dist. & quia diligentia de electione, & praecipue ex cap. unico, de schismat. in 6. ibi, omnibus beneficiis perpetuo priuantes, & inhabiles redditores ad habenda. At dicendum est, si schisma haeresi coniunctum non sit, hanc priuationem non inducere, quia supradicti text. quia diligentia & cap. nos consuetudinem non loquuntur de beneficiis antea obtentis, & cap. nos consuetudinem loquitur de haeretico cap. unicum, de schismat. loquitur in casu speciali, quo postposita electione canonica alicuius Pontificis alius eligitur, & ita schismaticum, non haeticum, priuatum non esse beneficiis antea obtentis, docet Garcia 11. part. de benefic. cap. 10. n. 151. Sanchez, lib. 2. cap. 36. n. 19. Bonacina disp. 3. quast. 4. de charitate, part. ult. §. 5. num. 10.

16 Quarta poena, quae secundum plures Doctores schismaticis imponitur, est irregularitas: sic ex plurim sententia defendit Azor. lib. 8. in fine, cap. 20. quast. 8. Pegna 2. part. direct. qu. 84. cum. 78. At vt rectè expendit Sanchez nullus est text. ex quo haec

irregularitas clarè colligatur, & cum irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis, efficitur tanè schismaticis irregulares non esse. Sic Sanchez lib. 2. c. 36. n. 10. fine, Suarez de cens. disp. 43. sect. 2. n. 7. Bonacina disp. 3. quast. 4. de charitate, part. ult. §. 5. n. 12.

Aduerit tamen & bene Sanchez, & Bonacina, supra, si schisma notorium fit, illo durante schismaticum irregulare esse irregulare tenent generaliter proveniente ex crimine notorio depositione digno, haec tamen irregularitas per poenitentiam aboletur.

17 Quinta poena est suspensio ordinis à schismaticis scienter recepti, ex cap. 1. & 2. de schismaticis, & cap. ordinationes, 9. qu. 1. sic Suar. disp. 23. de cens. sect. 3. num. 4. Sanchez lib. 2. cap. 36. num. 20. Bonacina disp. 3. quast. 4. part. ult. §. 5. num. 13. Farinacius quast. 181. num. 43. & 44.

18 Sexta poena est, vt collatio beneficiorum ab eis facta irretur, cap. 1. de schismat. ibi, careant impertratis. sic Suar. Sanchez, Bonac. & Farinac. supra. Aduerit pro his duabus poenis debere schismaticos notorios esse secundum fati probabilem sententiam declaratos. Azor. supra, quast. 11. Bonacina n. 13. Nam in cap. ordinationes, 9. quast. 1. in princ. sic cauetur. Tum quia videtur, si deles post concilium Constantiense obligati non esse vitare illos, quouique denunciati sint. Denique non carent potestate iurisdictionis, vt diximus in prima poena, quousque eorum crimine declaratum sit. Adde has poenas solum videri impositas recipientibus scienter ordinem, seu beneficia à schismaticis haeticis, vt satis colligitur ex cap. 1. de schismaticis, cap. ordinationes, 9. quast. 11. Nam in iure haeticus, & schismaticus aequiparantur, ex cap. firmissime, de haeticis, & multis exoritur Farinacius quast. 184. numero 55.

19 Septima poena est suspicio haeresis, & meo iudicio vehemens: nam licet aliquando contingat dari schisma absque intellectus errore, vt dictum est, raro tamen contingit, ac proinde omnium schismaticorum non solum abjurare tenetur schisma, sed etiam haeresis suspicionem, vt bene notat Pegna 2. part. direct. quast. 48. com. 73. Vgolin. tract. de cens. Pontifici reseruat. 2. part. in glossa, nec non schismaticos. Farinacius quastion. 184. num. 35. & latius vt Menochius de praesumptione, lib. 5. praesumpti. 6. numero. 24. vbi dicit schismaticos, vel schismaticorum sequaces esse vehementer de haeresi suspectos.

20 Octaua poena schismaticorum est, esse subiectos iudici Ecclesiastico, vt pro qualitate criminis eos puniat, tum poena pecuniaria, tum exilio, tum carcere, tum tiremibus, imò & relaxatione brachio saeculari, si pertinaces existant. sic Bernard. Dia. in pract. cap. 112. num. 1. & seq. Farinac. quast. 184. num. 51. Valenti. disp. 3. quast. 15. part. 3. vers. quid erum est, & colligitur ex cap. de liguribus, 23. qu. 5. cap. non vos, 33. qu. 5. cap. in unione domini, 33. dist. 17.



DISPUTATIO V.

De bello, rixa, & duello, quatenus Charitati contraria sunt.

DISPVTATIO de bello, rixa, & duello potius ad virtutem iustitiae, quam charitatis videbatur pertinere, sed quia D. Thomas 2. 2. quast. 40. & eius interpretes communiter agentes de charitate, de his tractant, vixit contra rixam, quae est charitatis effectus, ideo moueor de illis in praesenti habere sermonem.

PUNCTVM I.

Quid sit bellum, & an licitum sit.

- 1 Vnde dicitur bellum, & quae ratione definitur.
- 2 Bellum aliud est offensiuum, aliud defensiuum.
- 3 De fide est licitum esse bellum, si conditiones debite seruantur.
- 4 Aliquando est in praecipuo.
- 5 Proponuntur quadam haeticorum argumenta.
- 6 Fit illis satis.
- 7 Tres conditiones sunt ad iustum bellum requisitae, & quae haec sunt.

Bellum dicitur, vt Priscian. sentit per antiphrasim, quasi nihil bellum, & pulchri habeat per se. Non enim bellum per se est appetibile; imò potius quantum fieri possit vitandum, ob grauissimam mala, quae secum trahit: caedunt enim multi, & saepe innocentes, vrbes diripiuntur, diuina dilapidantur, & regna poereunt, non igitur appeti debet per se sed eo modo, quo medicina appetitur. Alij è contra à bello, & cono deducunt, quia ex fine bono, & pulchro fit, qualis est propulsa iniuria, pacem obtinere. Alij vt Festus, à bellis deriuant, quia belluarum est mutuo se laniatu cõficere, sed vadeunque bellum dicatur, cõmunitur à DD. definitur